

omnibus rebus præfunt: habentque cum in senatu, tum
vero etiam majoribus in comitiis ferendi leges potestatem.
post eos tres, item alii ex eodem numero tres eodem lo-
ci tantundem temporis præficiuntur, usque eo quoad octo
menses abeunt, quod est ejus collegii temporis univer-
sum spatium. Eo cum esset in magistratu Gabriel, Fran-
cisco Falerio auctore, Principi & reliquis ex ejus colle-
gio patribus legem a se scriptam proposuit, qua lege ci-
vibus omnibus, qui re familiari angusta uterentur, qua-
draginta annos natis, auri libra singulatim ex publica pe-
cunia quotannis daretur, qua se stipe honestius, liberos-
que suos alerent: qui intra eos annos nati essent, annum
autem vigesimum quintum excederent, ii semilibram eodem
nomine acciperent. Eam ipse legem ferre ad Senatum
majoraque comitia statuerat: itaque ut consultis Patribus
ferretur (id enim fieri aliter non poterat) eis tradiderat
legendam. Patres ubi legem inspexerunt, quæ morem
improbi exempli in rempublicam induceret, ut unus teme-
re civis tantum pecuniæ publicæ cæteris civibus elargiret-
tur: idque nulla alia de causa eum & Falerium esse ag-
gressos animadverterent, nisi uti civium gratiam ad magi-
stratus adipiscendos aucuparentur: Principi negotium de-
derunt, ut utroque ad se vocato, eos moneret, ne quod
amplius ea de lege verbum facerent. Illi cum dies aliquot
siluissent, multorum autem civium, quorum vitæ lex erat
opportunissima, vocibus increparentur, suam ipsorum di-
gnitatem ab eis negligi: si legem ferrent, se se quos vel-
lent magistratus adepturos, principesque civitatis evesti-
gio futuros: ut si quid ejus facere possent, experirentur,
curam & studium adhibuerunt. Ea re ad collegium de-
lata, Decemviri Gabrielem Bonum, & Franciscum Fa-
lerium statim comprehensos, atque in vincula conjectos,
in Cyprum insulam deportandos curaverunt, poena capitis
adjecta, ab oppido Nicosiensium ullo tempore si emigra-
vissent. Binos autem scribas fisci reipublicæ, quibus illi
usi fuerant ejus legis consultoribus, & tanquam admini-
stris, in Cretam insulam exulatum miserunt, eadem eis
poena